

III.

In superioribus de Ariovisto egerat Germanorum Rege, de ejus viribus, superbia, crudelitate, conatu, responloque, quod Cæsari, qui Eum ad conloquium invitarat, per legatos reddiderat. Commorabatur vero ea tempestate in Galliis Ariovistus, ab Arvernibus Sequanisque contra Aeduos (erant namque tum duæ totius Galliæ factiones) requisitus; *Superbe & crudeliter imperabat; obsides nobilissimi cujusque liberos poscebat, & in eos omnia exempla cruciatus edebat, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem ejus facta sit.* Quam ejus barbariem, quum diutius sustinere non possent, totius fere Galliæ legati, principes civitatum, ad Cæsarem questum veniebant, ejusque atque Populi Romani auxilium ad frangendam hanc tyrannidem imploratum. In his quoque erant Treviri; atque hi quidem referebant: *pagos centum Suevorum ad Rheni ripam consedisse; qui Rhenum transire conarentur, cum Ariovisti veteribus copiis sese conjungere volentes: iis præesse Nasuam & Cimberium fratres.*

IV.

Ut rem omnem ordine expediamus I. nobis examinandum erit, quid per SUEVORUM C pagos intelligat Cæsar; tum II. demonstrandum, horum alterum Ducem Nasuam Gentis nominisq; Nassovici fuisse conditorem. Suevi antiquissimi fuere populi, quorum Tacitus non tantum sed & Dio Cassius Lib LV. de Druso loquens mentionem facit his verbis: *προηλθε μεχρι της Σουηβιας, ad Sueviam usque progressus est.* Et notum est, Romanarum rerum Scriptoribus Svionum sive Sueonum (quos Suevos fuisse existimamus) magnam gentem passim memorari. Ad hæc fortissimos fuisse

A 3

bellis-